DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

NECESSITATE ARTIS MEDICÆ,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQVA,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATURALIUM PROFESSORE PUBLICO ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO &c.
DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO omni Obſervantiæ atque Honoris cultu ætatem colendo,
PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus ac Privilegiis, More Majorum Solenni obtinendis,
Ad d. Dec. M DCC XII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publico Eruditorum Examini ſubmittit,

JOHANNES ANDREAS HAMMERER,
ARGENT.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

AUrea optimo jure meretur dici ſententia illa Iſocratis, quam profert Oratione adverſus Sophiſtas ſui temporis: *Non faciunt artes magnas, qui jactanter de illis loqui ſatagunt; ſed illi potius, qui, quicquid in unaquaque verè ineſt, repertum dare* (ἐξευρεῖν, ausfündig machen) *valent.* Nempe rectè; quisquis fuit antiquorum, pronunciavit: *Veritas non indiget mendacio.* Sicut enim Veritas, in ſe ipſa quidem, omnino eſt res ſimplex; ita cum tamen, in negotio liberalium inprimis artium, per varietatem rerum atque circumſtantiarum, tam induſtria, quam judicio, opus habeat, in ordine ad veram cognitionem & evolutionem: habet ſane abunde proprium ſplendorem, & ſuam lucem, qua radiet, ut non opus ſit aliunde accerſendis phaleris, aut, ſive rerum longius petendarum, ſive verborum, curioſè quæſitis coloribus. Medicina certe ſummo jure tuetur elogium illud, quod ipſi tribuit Hippocrates: quod *artium*

omnium haberi mereatur *illuſtriſſima*; ſed dolendum etiam eſt, quod a tot ſeculis, adhuc inexpugnabilem habeat deteſtandam illam comitem, quam ſuo jam ævo deprehenſam, juſtiſſimâ indignatione notat, & graphice deſcribit idem, (Legis initio) inquiens: *Medicina omnium quidem artium eſt illuſtriſſima; ſed propter inſcitiam illam exercentium, & eorum, qui tales pro genuinis artificibus judicant, poſtrema omnium reputatur.* Αμαθίαν appellat; indocilitatem non male dixeris. Et meretur cum hac enunciatione conferri illa, quam profert, itidem initio tractatus de Arte; ubi non obſcure cauſas indicat, per quas aliena ratione artem extollendo, non tam, quod vult Iſocrates, vera ejus penetralia adire, ſeu, ut opportune ipſo vocabulo Hippocrates coincidit ἐξευρίσκειν, (adinvenire,) obtingit: Sed, varietate hiſtoriolarum ſibi placendo, à vero nexu atque tramite verarum rerum ad artem pertinentium, eo ipſo excidere & aberrare evenit. Palam eſt, plus quam dici poſſit, quid detrimenti poſtremis his temporibus ſalutari arti attulerit πολυπραγμοσύνη; quam neſcias quo fato Latini Curioſitatis nomine exprimendam cenſuerunt: & adhuc deteriore fato, ab omni ævo male audientem, poſtrema hæc ætas, in laudis parte non poſtrema ponit. Unde quidem non ſolum indiſcreta confuſio ſcientiæ Phyſicæ, cum arte Medica, originem traxit: ſed etiam, dum alienis exornatur, imo fucatur, domeſticis autem atque propriis denudatur, hæc ars; fieri aliter non potuit, quin lacera & hiatibus plena maneat ejus cognitio. Sæpe certe, & vix non aſſidue, jam pridem, fontem atque fundamentum intricatæ hujus difficultatis ad animum revocando,

cando, nullam invenire potuimus planiorem atque re-ctiorem viam, quæ tam defectus hos detegat, quam ad unicum optatum ſcopum deducat, præter unicam illam conſiderationem, Quid in quibuscunque reſpe-ctibus atque contemplationibus rerum, ad artis ſco-pos quam maxime pertinere creditarum, ſit revera aut non ſit, in artis poteſtate. Actum eſt hac de re nu-per, diſſertatione propria, de *Poteſtate Artis Medicæ.* Quia tamen minus circumſpecte rem totam perpen-dentibus, dubitatio cooriri poſſet, an non nimis pa-rum relinquamus arti, & nimium tribuamus naturæ ipſius Energiæ; viſum eſt operæ pretium etiam deſi-gnare, in quibus rebus atque caſibus, major ſit, aut certe quærenda ſit, artis, quam ipſius Naturæ, pote-ſtas. Quibus in caſibus, cum vel præcipuum, vel a-liquando totum, auxilium, in artem recidat; adeoque in hoc genere, pro obtinendo ſalutari eventu, ars reve-ra Neceſſaria ſit: placuit præſentem, circa hoc ſubje-ctum occupatam Diſſertationem inſcribere, de NE-CESSITATE ARTIS MEDICÆ. Quam itaque INAVGVRALIS Thematis dignitatem tueri poſſe, tanto magis confidimus, dum utique hoc negotium, tam theoriæ fundamentalem contemplationem, quam Pra-xeos ſolidum, vere rationalem, uſum, concernit & in-volvit.

Rogamus autem merito divinam clementiam, ut ex immenſa ſua ſapientia atque veritate, jubar vene-randum affulgere nobis ſinat, cujus ductu in rebus ita ſeriis explanandis potiri, feliciter nobis obtingat.

TH. I.

QUemadmodum infinita ſapientia omnipotentis Creatoris, omnia in hoc ſenſuali mundo, ea ratione conſtruxit & ordinavit, ut vix quicquam per ſe ipſum ſubſiſtat, quin vel *ſocietate* aliarum rerum quaſi fulciatur atque ſuſtentetur, vel plane *auxilio* ſocio opus habeat; ita elucent huius rei documenta etiam paſſim in ſingulis ſpeciebus, & inter has eò magis, in ipſo *humano* corpore: quod, cum à multis Epitomes univerſi, ſeu *Microcoſmi*, titulo honoretur, certe etiam in hac conditione, *ſocii* uſus & auxilii, à reliquis ſpeciebus rerum naturalium nequaquam diſſentit, ſed quam maxime cum illis convenit & conſpirat.

II.

Quamvis autem etiam omnium *vivorum* corporum, tanquam in genere, in eo conveniat indoles, quod variarum rerum *ſocietate* & *concurſu* indigeant; apparet tamen *humani* corporis conditio, in eo deterior ipſis *brutinis*, quod impotentia, & intemperantia *animi* humani, corpori huic longe plura objiciantur, quæ *propriis* ejus viribus in ordinem redigi non poſſint; ſed varia *auxilia* requirant atque præſtolentur, aliunde petenda atque expectanda. Quid, quod incomprehenſibilis ille, tamen ipſo effectu manifeſte diluceſcens, *inſtinctus*, uti vulgò vocatur, pleriſque animantibus, rerum minus convenientium abſtinentiam & velut averſionem concilians, homini vel plane deſit, vel ad minimum fatali illa polypragmoſine atque ſciola proterviâ, ita ſubigatur, ut nihilo ſecius experiri ac tentare libeat, licet *ſenſuales* appetitus & *inſtinctus*, vel diſſuadeant, vel certe tentamen, nedum uſum conſtantiorem, nequaquam ſuadeant aut ad ſummum non magnopere approbent.

III.

Habet quidem œconomia corporis *vivi*, quà talis

lis, λόγον talem (quamvis ἀσυλλόγιςον) ut *heteroge-nea*, etiam paſſim ad *moleſtias*, imò *noxas* inferendas apta, *ſpontaneis*, neque *proportione* notabili deſtitutis, remediis, nempe *motoriis actionibus* & *directionibus*, à corpore ſuo depellat, & hoc ab illis repurget & exoneret. Interim, cum tota ejus poteſtas propemodum unicè in hoc collocata ſit, ut *motibus* conſulat corporis neceſſitatibus, efficacia verò *motuum* omninò reſpiciat, imò involvat atque præſupponat, *materiarum*, ad hos motus ſubeundos recte proportionatam, *diſpoſitionem*: fit inde, ut non raro irrita ipſi ſit hæc ſua poteſtas, quando *materiæ* talis occurrit conditio, quæ *motibus* neceſſariis non reſpondeat & obſequatur.

IV.

Quamlibet enim etiam ſubinde, prædicta illa γνῶσις, eousque ſe extendat, ut diſpoſitionem materiarum, *ſpontè* ad motus ſalutares ſeſe accommodantem expectet, & tunc demum hos in actum deducat, & materiæ tali ſuperinducat: Tamen, cùm non omnes materiæ hujus ſint indolis, ut ita, *proprio* quaſi progreſſu, hanc diſpoſitionem ſubeant atque nanciſcantur, evenit ita omnino, ut ubi hæc materiæ habilitas, ſeu potius *agilitas*, deficit, etiam omnis conatus *actionis* in irritum recidat.

V.

Hoc cum utique non ita *raro* eveniat & contingat, fit ejusmodi caſibus, ut plane *neceſſaria* ſint, adventitia auxilia, quæ alioquin, ubi *materiæ* minor eſt inhabilitas, Natura verò ſibi ipſi ſatis conſtat, neque turbatur aut confunditur, non tam *neceſſitatis*, quam *commoditatis* nudæ dignitatem tuebantur.

VI.

Sicut autem nequaquam ita obiter, & nuda mentione, attingenda venit modo nominata illa *perturbatio* & *confuſio* naturæ; dum inprimis *animi pathematibus*, à *moralibus*

bus occaſionibus, & malè moratis *adſuetudinibus*, quàm plurimum debet: interim hæ *animi* & *morum* impotentiæ, hominibus, inprimis commode & pro lubitu vivere geſtientibus nimium familiares inveniuntur: fit ita, ut etiam ex hoc capite paſſim *neceſſitas* aliqua oriatur, adventitio auxilio œconomiæ corporis ſubveniendi, & illam ab incumbentibus periculis atque damnis eripiendi.

VII.

His rebus rectè atque debitè perpenſis, tribuendo unicuique illud, quod in rei veritate ipſi competit ac debetur, facilè erit intelligere, quòd quidem omninò ultimæ, ſeu potiùs *ſupremæ*, partes, (exceptis paucioribus caſibus,) omnino *propriæ* naturæ *poteſtati* maneant; nempe in *actu* & *effectu commotionis*, & tandem plenæ *emotionis*, heterogenearum, & ſerius ocyus, periculoſarum, imò noxiarum, materiarum, adeoque corporis plenariæ ab illis liberationis: Interim tamen, dum natura ultimum hunc actum ſubinde in effectum deducere, & eousque pertingere, propriis viribus non valet, nihilo minus perſpicuum atque clarum inde evadit, quod etiam *intermediis* hujusmodi, *ſubſidiariis*, mediis, laus ſua manere atque conſtare debeat: dum utique, juxta notum canonem philoſophicum, *qui dicit finem, dicit media, ad illum finem ducentia*: adeoque non minus *neceſſaria*, in talibus caſibus, ſunt ejusmodi auxiliaria media, quam ipſa *activitas*, quæ ad effectum equidem directe tendit & procedit, interim tamen ſine his *mediis* & ſubſidiis eundem attingere atque exſequi nequit.

VIII.

Actum eſt nupera Diſſertatione, *de Poteſtate Artis Medicæ*. Quæ, cum in ſe & ſimpliciter, explanari non valeret, neceſſe utique fuit, etiam ipſius *Naturæ* poteſtatem *propriam*, tanquam ſumma aliqua complecti, atque ob oculos ponere. Acquievit interim tractatio illa noſtra, in eo,

in eo, ut enuclearet, in quasnam res corporis humani, *ars* medica aliquid *poteſtatis* habeat, aliquid juris, aliquid utilitatis. Fuit interim ibi & obſervandus, & ut ſperamus obſervatus, perpetuus utique ille *reſpectus* Poteſtatis artis, ad ipſius naturæ propriam *Energiam, poteſtatem*, *activitatem*. Pro præſente noſtra tractatione, mutanda venit ſcena, & oſtendendum potius, quid Natura *vix*, aut *planè non*, poſſit, ars autem *poſſit*. Quod ipſum, cum hoc loco de ſolis veris *neceſſitatibus* œconomiæ corporis, ſit ſermo, æquipollet locutioni de *Neceſſitate Artis*, ſeu, *quid*, *ubi*, & *quantum*, Ars naturæ humanæ ſit *neceſſaria*.

IX.

Inſcripſimus itaque thema noſtri inſtituti, de *Neceſſitate Artis Medicæ*. Licet autem hanc diverſis reſpectibus metiri; nempe primo, ratione *veritatis* in facto ipſo; deinde, *operationis* ſatis luculentæ: illud velut *empiricè* & ſimpliciter practicè, hoc *ſcientificè* adeoque Theoreticè.

X.

Empiricam harum rerum conſiderationem quod attinet, quemadmodum jam nominata diſſertatione de *Poteſtate Artis*, merito diligenter commendavimus animi adverſionem, ad expugnationes *ſpontaneas*, multorum, inprimis præſentioris *periculi*, & *activitatis* ac *agilitatis* materiæ, morborum: ita præſente loco, parem omninò uſum habebit animi adverſio, ad obſervationem experimentalem *oppoſitæ* indolis; quomodo nimirum *certos* aliquos morbos, Natura, *propriâ Energiâ*, & ut loquuntur, *ſpontè*, vel plane *nunquam*, vel ita *rariſſimis* exemplis, ſuperet & expugnet, ut utroque modo, vel *abſoluta*, vel ad minimum valdè magna & *eximia impotentia* Naturæ, non poſſit non inde colligi & agnoſci. Adeoque, ſicubi *Ars* ejusmodi caſibus verè aliquid auxilii ſalutaris adferre valeat, ſummo jure meritoque dici tunc poſſit atque debeat,

quod ipſa *Ars*, ad tales caſus, ad ſuppetias naturæ ferendas, omni modo *neceſſaria* exiſtat.

XI.

De hac itaque, aliquando *abſoluta*, tanto ſæpiùs autem ſub conditione, ſeſe offerente, *Necesſitate Artis*, agere cum inſtituerimus, priusquam preſſiùs tractationem aggrediamur, non abs re erit, aliquid adhuc præmittere, de *Necesſitatis* hujus etiam *artificiali* fine. Ubi notum eſt, quod *Finis* ſumatur vel *philoſophicè*, pro *termino intentionis*; ad quem nempe intentio, *ordinatè Agentis* ſeu *Efficientis*, dirigitur: vel *Grammaticè*, pro ultimo eventu aut effectu. Priore modo, *Finis* ſemper debet eſſe *pragmaticus*, ſive, ut vulgus loquitur, *practicabilis*: ſiquidem ad ſcopum tendere, qui optabilis quidem, aut *neceſſarius* eſſet, interim de illo obtinendo nulla juſta ſpes faveat, alienum eſt ab arte, utpote, *cum rectâ ratione effectiva.* Si itaque in humano corpore, Natura ipſa aliquid obtinere *non* poſſit, quod tamen *neceſſarium* illi eſſet; interim etiam ipſa Ars, huic *necesſitati* ſupplendæ impar exiſtat, nihilo magis ad ſolidam ejus conſiderationem hoc facit, quam ſi quidlibet etiam aliud, à ſua poteſtate alienum, contemplandum potius, quam tractandum, ſibi ſumat. Unde nihil circa tales caſus, quàm miſera Prognoſis, *deſperandi auxilii*, hinc reſultat.

XII.

Ubi meritò cordatâ deciſione opus habet, plebeja illa loquendi formula, de *nullâ re ſimpliciter deſperandum* eſſe, ſed potiùs quolibet modo *tentandum*, ſicubi forte tandem adhuc inveniri poſſit auxilium, & quod vernacula eloquuntur, wer wiſſe / ob nicht einer ſolchen Kranckheit noch zu helffen ſtünde / und was einer / oder viele nicht können / könne vielleicht noch ein anderer: es ſtecke noch viel in der Natur / das man nicht wiſſe / aber deßwegen nicht verabſäumen / ſondern ſuchen und unterſuchen ſolte ꝛc. De talibus autem auſibus atque

que cœptis nequaquam difficile eſt, æquum judicium ferre, & ſententiam dicere.

XIII.

Primo enim loco, ſermo omni jure meritoque, ſemper inſtituendus venit, de eo, quod in artis, quoad usque cognita eſt, ſive *notoria* & *conſtante*, poteſtate poſitum eſt; ſive ad minimum qualitercunque *probabilibus* proportionibus illi reſpondet. Quicquid enim ab his reſpectibus longiùs adhuc abeſt, non poſſe niſi ad nuda & ſimplicia *tentamina* incerta referri palam eſt. Circà quam rem etiam non indigna eſt conſideratu illa animadverſio, cum utique jam inde à tot ſeculis, tam nudæ atque ſimplices *Empiriæ*, per ita dicta *ſpecifica* remedia, quam rationales *methodiæ* circa artem medicam, obſervatæ, & ad poſteritatem vel annotatæ, vel traditæ ſint; quicquid nec exemplis *empiricis*, nec adminiſtrationibus *methodicis*, unquam adhuc feliciter eveniſſe probari poteſt, de ejus adhuc inveniendo felici effectu, ſi non planè nullam, certè tamen *temerariam* & *audacem* ſpem concipi, ſalvâ prudentiâ, non debere. Unde etiam quilibet, vel de ipſa plebe paulo conſideratior, facile comprehendit, quam malè *generales* tales præſumtiones, de non ſimpliciter neganda poſſibilitate, quadrent ad *ſpecialisſimas necesſitates*, & inprimis in malo jam *præſente* & *urgente*.

XIV.

Siquidem, *ſecundò*, neque mediocris conſiderantia approbaverit, in dicto modo urgente *necesſitate*, à variis *tentaminibus*, nec in theoria ſeu bene fundata ratione, nec in praxi ſeu experientia nuda, radicatis, auxilium quærere aut præſtolari.

XV.

Tantò magis, *tertio*, cum non tam ſolùm *ſanitas* reliqua qualiscunque, quam ipſa *vita*, hominis, non eo loco haberi mereatur, ut æquum cenſeri debeat, quidlibet in

illam audere atque experiri. Dum interim auſus tales & tentamina, vix niſi rariſſimè, ſine valdè probabili *periclitatione* harum rerum, ſuſcipi valent: ut certe cum bono grano ſalis capi hic debeat protritum illud, hilffts nicht / ſo ſchadets nicht; & non tanti ponderis ſit, ſtatim etiam ipſo verbo æquivoca illa locutio, ſoll man dann den Patienten alſo ohne alle Hülffe liegen laſſen; cum de *auxilio*, quod nomen hoc mereatur, nulla ſit dubitatio: ſed potius, ſecundùm rei veritatem, ita exprimi deberet hæc locutio, ſoll man dann nicht lieber an dem Patienten noch allerhand verſuchen? Cui propoſitioni vix quisquam prudens æger, imò ne ipſi quidem verè de illo ſolliciti, aſſentientur. Sicut etiam vix amplius ſine indignatione auditur, poſtquam temere in vulgus emanavit, proverbium illud hujus ſcopi practicum: *Fiat experimentum in anima vili*. Quæ omnia tamen de tentaminibus *frivolis* & *temerariis*, eorumque *promtitudine*, nequaquam autem de *circumſpectis* & *prudentibus*, intelligimus & accipi volumus.

XVI.

Sepoſitis autem ita notatis *neceſſitatibus*, utpote arti quoque *inſuperabilem* neceſſitatem objicientibus, de illis ſermonem noſtrum inſtituere aggredimur, quæ naturæ quidem humanæ, *aliunde* quærendi conſilii & auxilii *neceſſitatem* injiciunt; ſed alibi, nempe in *Medica* arte, *poteſtatem* ſuccurrendi inveniunt. Declaratum eſt memorata jam Diſſertatione *de Poteſtate Artis Medicæ*; quod præcipua naturæ ipſius poteſtas, corpus ſuum ſalvum præſtandi, fundata ſit in rerum noxiarum *remotione*, & tandem *emotione* ſeu *evacuatione* è toto corpore. Monſtratum inſuper eſt, quod *Poteſtas Artis Medicæ*, longe maximam partem circa hoc idem objectum occupata ſit: aſſequatur autem hunc ſcopum *duplici* ratione. Nempe primò, *directè*, naturam in negotio *excretionis*, ſimpliciter *imitando*, aut *adjuvando*, *excitando*, *provocando*, *dirigendo*. Secundò

dò, *mediatè*, & quaſi per *indirectum*, *materias*, ad meliorem ſucceſſum evacuationis, diſponendo atque *præparando.*

XVII.

Subindicatum ſimul eſt, quod tamen præſente loco tanto magis ſtabiliri debet, quod in aliquibus quidem caſibus, etiam ſine artis ope, eveniat, ut *materiæ* alienæ atque noxiæ, qualicunque *temporis* morâ, & ſucceſſibus circuitus ſangvinis, ſenſim *diſpoſitionem* illam nanciſcantur atque conſequantur, ut *evacuationi*, (ante omnia tamen prius *ſecretioni*, & tunc demum *excretioni*,) obſequantur. Quod tamen negotium à *poſitiuo* aliquo auxilio ſive poteſtate naturæ pendere, negavimus; *privativam* illam ſolum moderationem *excretoriarum* actionum, naturæ aſſerentes, ut illa ipſas *directiones* & *operationes* evacuatorias, tantisper abſtineat exercere, donec materia ad bonum ſucceſſum atque exitum, prædictis rationibus *apta* evadat: id quod in exemplo *ſudorum Criticorum*, nemo facile in dubium vocaverit.

XVIII.

Hoc ipſo verò, tertiò, aſſeveramus, eſſe aliquid, in quo *plus* poſſit (in negotio etiam ſubſtrato, nempe corporis humani periclitationibus) *ars*, quam ipſa *Natura* humana: ſine quo tamen arti *ſoli* conceſſo auxilio, cum Natura reliquam ſuam poteſtatem in optatum effectum deducere non valeat; ad hunc feliciter aſſequendum manifeſto *Neceſſe* ita eſt, ut ars ſua illa poteſtate naturæ ſubveniat: adeoque *Necesſitas artis* ad ſuppetias naturæ ferendas, omni modo ita obverſatur.

XIX.

De *ſubjecto* itaque hujus *necesſitatis*, tenendum eſt, quod illud equidem ſit *duplex*, interim unum magis *accidentale*, adeoque non ita ordinarium aut *perpetuum*: alterum autem magis *eſſentiale*, & *ſemper*, utut diverſo *gradu*, in illis caſibus obſervandum. Primum horum eſt, *erronea* atque *turbulenta* Naturæ *intentio* & *directio*, ad perpetrandas evacuationes; inprimis quidem *exceſſu*, inconveniente *tempore*,

re, loco, gradu, exercendorum *impulſuum* motoriorum: aliquando tamen etiam *defectu*, circa has agendi rationes.

XX.

Poſterius autem, concernit ipſas *materias*, quæ illo tempore *commovendæ*, *ſemovendæ*, & ultimo *emovendæ*, corpus obſident: & neque *interna* ſua diſpoſitione, ad hoc obſequium præſtandum, per tempus tranſeunt; ſeu propriam mutationem illis eventibus idoneam, aſſequuntur: nec à *Natura* ipſa, in aliam, & quidem *exonerationi* reſpondentem, formam converti valent.

XXI.

Ubi nempe iterum iterumque memori mente tenendum venit, cum tota *poteſtas*, naturæ animali conceſſa, unicè fundata ſit in *motibus*; quæcunque *materiæ* corpori moleſtæ aut noxiæ, *motibus* ſolis, & quidem talibus, quales in corpore animali perpetrari poſſunt, ita *mutari* non valent, ut tempeſtivis *exonerationibus* obſequantur, illas ad hunc excretionis eventum, ſolius Naturæ poteſtate, nunquam perductum iri.

XXII.

Quandocunque itaque tales *materiæ*, ſive in corpore *generantur*, ſive corpori *inſinuantur*, quæ non aliter, quam aliarum certarum *materiarum* concurſu, & qualicunque *reactione*, cicurari poſſunt: niſi tales materiæ, *aliunde* conquiſitæ, corpori humano applicentur, manifeſtum eſt, nunquam futurum eſſe, ut effectus ille eousque *correctorius* impetretur. Cum utique à corporis œconomia expectare non liceat illam *panopliam* multiformium talium *ſubſidiariarum* materiarum, è quibus illa deprómere poſſit, quæ ſingulis ejusmodi *præternaturalibus* materiis ſatisfacere, easque, corporali concurſu aut actu, in craſin, juſtis *evacuationibus* aptam, deducere, valerent.

XXIII.

Quamvis autem ultima hæc conditio, materiarum præ-

præternaturalium, eminentiſſimum utique ſit objectum exquiſitæ *necesſitatis artis*; habet tamen etiam altera illa *conditionata* neceſſitas, tales flexus, ut non rarò proximè ad *abſolutam* appropinquet; niſi quidem rem ſecundum maximam probabilitatem judicando, revera in multis talibus exemplis *abſolutam* neceſſitatem ſubeſſe, intelligendum veniat.

XXIV.

Eſt hujus rei ſpecimen admodum conſideratu dignum in *Plethora*, cum inſigni *ſpisſitudine* (inprimis ab inſufficiente diluitione ſuſtentata) ſanguinis; ejusque *commotionibus*, ad propinquum aliquod ſonticum periculum machinandum, in proxima potentia conſtitutis. Quamvis enim de *Plethora* ſeorſim, dici poſſit, quod non tam *exquiſitè* in illa opus ſit *artis* auxilio, cum in ipſius *Naturæ* poteſtate poſitum ſit, *hæmorrhagiis* hanc exonerare; adeoque *artificialium* depletionum ſubſidium magis ſolum *commoditatis* ſit negotium, aut ad ſummum *accidentalis* tantum *necesſitatis*, nempe ubi natura vel *ſegnius*, vel *intemperantius*, ſpontaneam illam evacuationem agitat. Tamen, cum valde frequens (inprimis in frigidioribus, & craſſiori victui adſuetis, regionibus) longè certius familiaris ſit tanta ſanguinis *ſpisſitudo*, ut præ illa ſpontaneis *hæmorrhagiis*, nullus, aut certe valde impeditus, ſit locus & ſucceſſus: apparet ex hac circumſtantia, quod in tali caſu, artificiale ſubſidium pro prompta atque facili tali exoneratione, non tam *commoditatis*, quam certioris *necesſitatis* rationem habeat.

XXV.

Quod quidem tanto magis valet, id eſt, eo certiorem *neceſſitatem* infert, in affectibus, à *plethora*, ad exonerationem quidem *deſtinata*, & qualitercunque *directa*, ſed *exitum* non aſſequente, dependentibus. Pro talium enim certa & felici curatione, cum utique *ventilatio* Plethoræ, tanquam cauſæ ſtricto ſenſu antecedentis, & veri

fo-

fomitis horum affectuum, ſit *neceſſaria*: ſi hæc non ab ipſa Natura in effectum deducatur, (ſi vel maxime naturam hoc perficere *valere* conſtaret, nedum ubi non conſtat;) certe *neceſſaria* erit hoc caſu artis ſubſidiaria interpoſitio, ab his initiis totam reliquam curam felicem neceſſario ordientis.

XXVI.

Sicut itaque, ad minimum in hoc *caſu*, & conditione omnino valde dabili, ars ita *neceſſaria* ſentitur, ut citra ejus ſubſidium, graviora hinc pullulantia, & ad artis opem ulterius reſpicientia, incommoda atque labefactationes ſanitatis, nequaquam exoptatam curam admittant: ita tanto magis *opus eſt* artis conſiliis & auxiliis, ubi ipſæ ſanguinis *evacuationes*, vel magis abſolute *debitæ*, ut *menſtruales* in ſexu fœminino, vel *adſuetudine* commendatæ, defectus patiuntur; aut exceſſus, & quaſcunque tandem irregularitates. Cum enim in ejusmodi caſibus, vel plane nullum ab ipſa natura ſperari, vel certe quam ſæpiſſime non expectari poſſit, auxilium; ſed potius de tempore in tempus, alii pejores ſucceſſus & effectus, metuendi veniant: quid aliud, quam *neceſſarium* tunc haberi poteſt, arte neceſſitatibus his ſubvenire, easque hac ſublevare aut auferre.

XXVII.

Priusquam autem ad *ſpecialiorem* commemorationem ſubjectorum, ad quæ ars medica magis magisque abſolute *neceſſaria* eſt, progrediamur, ex uſu erit, *generali* complexu, de præcipuis hujus cenſus ſpeciebus, præmonere, quod illæ, *neceſſitatem*, inquam, artis facientia ſubjecta, ante omnia ſint *materiales* atque *continentes* cauſæ *tardiorum* ſeu *Chronicorum* affectuum. Cum enim *acutiorum* plerorumque morborum materiæ, ejus ſint indolis atque craſeos, ut vel ſponte, intra haud ita longum temporis ſpatium, ad mutationes tales devolvantur, ut ſponte naturæ ſecerni & excer-

excerni poſſint: vel, nec ipſius artis poteſtati ſecuriori pareant atque ſubjaceant: Occurrunt proinde non ſolum ſatis familiaria, ſed etiam numeroſa, hujusmodi rei exempla, quomodo ad ejusmodi materias, & inde pullulantes morbos, tam parum *abſolutâ* quadam neceſſitate requiratur ars, ut potius, ſi res ſine præjudicio, ſufficiente ſolum animi applicatione, perpendantur, longe major numerus inveniri poſſit talium, qui ſine ulla artis ope, per materiæ *maturationem* ſpontaneam, & Naturæ *poteſtatem ſecretoriam & excretoriam*, tempeſtivam atque opportunam, penitus expugnantur, & ſanitas hinc in integrum reſtituitur, ut nulla plane proportione conferri poſſint exempla efficaciæ artis, quæ forte allegari poſſent: inprimis ſi cum debita prudentia demum examinetur, 1.) an in ita allegatis exemplis, revera *opus* fuerit arte, adeo, ut natura non ipſa ſua ſponte negotium perfectura fuiſſet: aut 2.) ad ſummum, ars, in rei veritate, non plus, quam minorem partem totius ſecuti boni eventus, ſibi vindicare poſſit atque debeat.

XXIIX.

Præterea, ſecundo loco, ſeponimus hic, & extra longas ambages ad artis *neceſſitatem* referimus, affectus, qui vulgo dicuntur *chirurgici*, ſeu *manuali* ope atque miniſterio manualiter *inſtrumentali*, indigent. Utpote quos ipſa Natura nunquam propria ſua poteſtate abſolvere poteſt. Cujusmodi ſunt *luxationes* atque *dislocationes*, tam in *mollioribus* corporis partibus, quam *durioribus*; *fractis*. Et quicquid ad has læſiones quoquo modo reſpicit, artificioſam manualem operam expectans.

XXIX.

Imò, ſive tandem *Chronicæ*, ſive quadantenus *acutæ*, indolis atque efficaciæ materias, tanquam objecta & ſubjecta *neceſſitatis* artis, allegamus, tales, quæcunque vel plane *non* vel *vix*, & cum incertitudine *periculoſa*, à noxio

ſuo

ſuo effectu, revocari aut impediri poſſunt, niſi per alias *materias*, *extra* corpus humanum conquirendas, & huic demum applicandas aut inſinuandas. Cujus rei exemplum ſiſtit, acrimonia *acido-cauſtica*, è *bile*, perperam cum eſculentis aut potulentis *confermentatâ*, & proinde multiplicibus illis *coloris* intenſionibus conſpicua,: unde *vitellinæ*, *porraceæ*, *praſinæ*, *iſatodis*, *æruginoſæ*, nomina meruit: ſimulque *cauſticæ* ſuæ acrimoniæ indicia, non ſolum per varios *ardores*, *roſiones*, *colicos* dolores, declarat; verum etiam planè *manifeſtam* illam reddit, repentina *arroſione* faucium, & inteſtini recti, (ſub *vomitibus* & *dejectionibus cholericis*) &, vel ab *uno* vomitu, tantâ *ſtupefactione* dentium ac ſi corroſivo quodam minerali ſpiritu tacti fuiſſent.

XXX.

Ejusdem tribûs ſunt, quousque ſolum vera ſunt, quæcunque ad *internarum ulcerationum mundificationes*, pro felici læſionum talium reparatione *conſolidatoriâ*, faciunt: utpote quarum, inprimis intuitu, ſufficientis *mundificationis* ſibi ipſi minus conceſſæ, impotentiſſima eſt Natura; & quidem imprimis *humana*, præ *brutis*, in quibus adhuc facilius eſt, ſpontanearum talium ſanationum aliqua exempla obſervare.

XXXI.

Brevibus, ſunt præcipua *ſubjecta*, quæ artem medicam *neceſſariam* reddunt, omnes tales *materiæ*, quæ vel planè non, vel difficulter, è corpore evacuari poſſunt; adeoque corpus ab illis liberari atque ſanari: niſi peculiari *alteratione*, ita prædiſponantur atque *præparentur*, ut non ſolum *evacuationi* in *genere*, ſed minus operoſæ, nedum periculoſæ in *ſpecie*, obtemperare posſint.

XXXII.

Tandem connumeramus huc etiam *ſecretionum* & *excretionum* ipſarum ſucceſſus, quæ, per *animi* malè moratum habitum, aut *conſuetudines* aſſumtas, perperam exercitæ,

citæ, inſigne aliquod præjudicium, periculum, aut damnum, corporis œconomiæ minantur. Quo nomine notandi veniunt varii conſuetudinales *decubitus*, vulgò dicti, humorum; ſeu *congeſtiones* & *coacervationes* humorum, *periodicæ*, ad minimum ad oblatas occaſiones, recrudeſcentes. Quales, tantum abeſt, ut *ſponte* ſua in ordinem debitum reverti ament aut inclinent, ut potius magis magisque, mala *conſuetudine*, inſoleſcant, & *neceſſariæ* artis, tam prudente, quam perito uſu, ſatis ſubinde difficulter adhuc ad meliorem frugem reducantur.

XXXIII.

Citavimus autem jam ſuprà, pro ſpecimine quodam diacritico *neceſſitatis* artis ad morbos, *illam* horum conſtitutionem atque conditionem, quod vix unquam, aut non niſi valde *rarò*, & velut inuſitatis exemplis, *ſponte* naturæ, ſine *externis* auxiliis, ad ſanum ſtatum reducantur. Non injuria primum locum hoc nomine aſſignare poſſumus tumoribus *hydropicis* œdematoſis. Sicut enim ſatis notum eſt, quod tales, tantum abeſt, ut *ſponte* aliqua ad meliorem genium revertantur, ut potius certisſime, non ſolum magis magisque *obfirmentur* & radices agant: verum etiam ipſam *conformationem* partium ſolidarum, intra quas ſtabulantur, ſenſim eousque mutari efficiant, ut tandem, non ſolum per experientiam, ſed etiam per bene inſtitutam rationem, nulla planè amplius ſpes relinquatur, malum tale expugnandi, & naturalem ſtatum reparandi aut reſtituendi. Cum enim natura ipſa impos ſit, notabiliter jam *coacervatam* ſpiſſam illam mucidam materiam (quæ veluti gummi *Tragacanthæ* ſpiſſitudinem, quando hoc in aqua emollitur, probabiliſſimè æmulatur) remolliendi, & ita è partibus quas obſedit, abducendi, & è tota maſſa ſanguinis ſecernendi, & denique tandem excernendi: Interim dilatatas hoc infarctu partes ſolidas glandulo-ſofibroſas, (ipſa inquam natura, nutrire, *efformare*

 atque

atque *conformare* partes ſolidas, earumque texturam, ſueta) ſenſibiliter & evidenter etiam texturam ipſarum auget. Id quod inprimis in *hepate aſciticorum*, craſſo modo dilucescit; & in *cruribus* etiam, glandulæ cutaneæ, alioquin nulli conſpectui patentes, vel ad parvæ lentis magnitudinem, per totam cruris cutem augeſcunt: non tam *infarctu* nudo, quam notabili totius *texturæ* accremento. Elucet itaque inde, quam *neceſſaria* hic ſit artis interceſſio, qua materia illa, *tempeſtivè* ad juſtam *mobilitatem* reducatur, à partibus affectis avocetur, & tandem è corpore evacuetur.

XXXIV.

Ita etiam in *Aſthmate humido* vero, ubi materia hujusmodi lenta atque *tenax* in ſanguine abundans, ad *pulmones* inprimis coacervatur; quamvis ibi etiam ad *motus* hos *congeſtorios* prudenter reſpiciendum veniat: *opus* tamen omnino eſt, ut etiam depravatio hæc lenta & *viſcoſa* in humoribus, arte corrigatur. Cum natura ſua ſponte, per nudos vitales actus, huic effectui impar exiſtat; *voluntariis* autem motibus, equidem non exigua in his quoque caſibus ſubeſſet efficacia, interim propter neceſſitatem prudentisſimi uſus, & in hujus defectu certisſime evenientes ingentes difficultates, & facilia damna, facta propemodum impoſſibile evadit totum negotium. Adeoque vel unice in *artem* recumbit tota *neceſſitas* juvandi, vel ad minimum maximæ atque difficillimæ ſunt negotii partes, quibus ſubvenire, in ſe recipere debet.

XXXV.

Ita etiam in *veris Scorbuticis* ſanguinis diſcraſiis, licet per initia, & nondum æquè profundè radicato malo, inprimis motus corporis laborioſiores, uſum ſuum habeant egregium, & cum arte, non ita multa quidem, ſed tamen *arte*, (nempe *remediis*, *euporiſtis* equidem, ſed tamen experientia demum de hoc effectu notis,) malum hoc iterum

rum ſupprimere atque cohibere valeant: tamen, inprimis uti dictum, in profundius jam *radicato* malo, & non ſolum ſecuriùs, ſed etiam breviùs abſolvenda cura, *neceſſaria* certe eſt ars, pro corrigendis atque ſubigendis *materialibus* illis vitiis maſſæ ſanguineæ, ut ſive *exanthematicis*, ſive *diuretico-diaphoreticis* exonerationibus obſequantur: & ante omnia, à partibus illis, quibus quam maxime incumbunt, & præcipuum negotium faceſſunt, ſecernantur & excernantur. Cui inprimis effectui, verè *artificialia* ſubſidia, propterea quærenda ſunt; nempe *extrinſecùs* conquirenda, & corpori demum adhibenda veniunt.

XXXVI.

Quid, quod in ſimplici etiam, ſed tamen jam profundiùs corpus afficiente & inficiente, *ſcabie*, ſi non prorſus *abſolutè* ad corpus ab illa iterum liberandum, certe tamen ad hoc certius, & breviore tempore, quam ipſa natura ſive poſſit, ſive ſoleat, abſolvendum, *neceſſaria* penitùs ſunt artis ſubſidia: & adeo quidem *artis*, ut, niſi à vera & ſufficiente peritia ipſa quoque inſtructa, pariter fruſtra hic ſit, & nihil efficiat. Exemplis vulgo obviis, diuturnæ curæ, ſine effectu idoneo, ſcabioſis fruſtra adhibitæ. Tanto magis autem *neceſſaria* utique eſt ars in ejusmodi morbis, qui non tam *interno* aliquo vitio, è propria corporis diſpoſitione, ortum ſuum debent, quam ipſis quoque penitùs *adventitiis*, naturæ humanæ minus cognitis corruptelis, corpus corripiunt, & corrumpunt: ſimulque effectus producunt tales, quos unico ſuo ſimplici auxilio, nempe nudis *motibus*, nec ad *ſecretiones*, nec ad *excretiones* perducere, natura ſola valet. Cujus rei exemplum eſt in *Lue venerea*, inprimis ipſa quoque jam altius diffuſa & *innidulata*: à qua fruſtrà certe expectabitur, ut non ſolum in genere, ſine artis ope, ſed plane in ſpecie, ſine *prolixâ* plane tali ope, ceſſatura ſit.

XXXVII.

In *Scirrhis* ſemper *apoſtematodis*, *ſuppuratoriæ*, aut ἑλκώδεος, ſeu *ulceroſæ*, corruptionis periculum foventibus, tanto magis autem actualibus jam ejusmodi peſſimis affectibus & effectibus, in *viſceribus*, & inter hæc eminente, & familiarius obvia, *phthiſi*, ſatis quidem manifeſtum eſt, quod ibi inſignis, imò maxima, ſit *neceſſitas*, ad hæc damna ſive præoccupanda, ſive corrigenda & reſarcienda. Interim cum etiam metiri conveniat *poteſtatem* artis, cum hujusmodi *neceſſitate*; & maximopere cavendum venit, ne aliquid temere ſuſcipiatur, quod, deficiente ſucceſſu, artis exiſtimationi detrahat; aut plane *contrario* eventu, imò verius effectu, certius augeat, quam minuat hæc mala: id quod de plus minus *adſtringente* efficacia plerorumque *traumaticorum*, manifeſto valet: deliberandum hic certe eſt diu, quod ſtatuendum ſemel. Imò, cum in flagranti, ut ajunt, ſerum ſit, longis deliberationibus tempus conſumere; optandum certè eſſet omnibus votis, ut hæc res à longiſſimo jam tempore προεξεύκριτος, bene *præjudicata* ac determinata, jam haberetur: aut eſt certe hodieque non tam ſolum optandum, quam omnibus intellectus nervis eò contendendum, ut hæc res tandem, tam ſecundum ſanam rationem, quam ſolidam experientiam, decernatur, ac determinetur. Abſtrahendo à cerebrinis illis, ipſo effectu irritis & inanibus, ſuppoſitionibus, non tam cauſalibus, quam cauſariis: & ita potius ab experientia ordiendo, ut nihil opinione approbetur, quod non ſatis jam luculentum teſtimonium experientiæ ad minimum ſatis *analogicè*, præ ſe ferat. Hac enim ſola, & nulla alia, via, affulget adhuc ſpes, fore, ut ingentibus his neceſſitatibus adhuc tandem aliquando utilius, quam quidem ad hunc diem factum eſt, conſulatur.

XXXVIII.

Ubi non poſſumus, quin ex ipſa re enaſcens conſilium

alle-

allegemus & laudemus. Dum ſcilicet hinc inde audiuntur, imo leguntur per modum *obſervationum*, hiſtoriæ tales, ubi uno loco *aſciticus*, altero *phthiſicus*, tertio *hecticus*, ſanitati reſtitutus, memoratur: cum allegatione etiam, tam remediorum, quam (licet quoad ſpeciem paſſim parciſſime) ſucceſſuum & eventuum. Interim de *pleniore* hiſtoria, tam reliquarum conditionum *patientis*, quam veræ *ſpeciei*, *indolis*, *ortus* & *ſucceſſus*, totius morbi altum eſt ſilentium. Tanto magis autem ſubeſt ingens illud, & ſummo certe jure ſuſpectum præjudicium, quod hæ hiſtoriæ ita *ſigillatim* enarrentur, ut vel hoc ipſo dubium circumſpecto Lectori relinquant *duplex*; Nempe primo, an etiam hujusmodi hiſtoricus ea praxeos exercendæ frequentia atque copia potitus ſit, ut inde (quandoquidem certe in paucis libris habetur ſatis diſtincte declaratum) comprehendere potuerit, quanta intercedat *differentia*, inter diverſos tumores *œdematoſos* etiam latè per totum corpus ſeſe diffundentes: ut à *ſcabie retropulſa*, à *tertiana* temere ſuppreſſa, à *menſibus* ſuppreſſis &c. & propioribus adhuc horum *initiis*, aut altius jam actis *radicibus* adeoque *vero* jam tali, & *obfirmato*, affectu nec amplius, uti *practico-theoretici* loquuntur, in *motu generationis* exiſtente. Secundò, nec illud etiam circumſpectis Lectoribus leve objicere debet dubium, quod hiſtorici tales, ſi utique frequentiore praxi potiti ſunt, non *multa* potius (nempe conſtantis talis experientiæ atque efficatiæ,) exempla, cum debitis perſonarum & rerum circumſtantiis, quàm *unicum* tale ſingulare, adducant; quibus tanto magis confirmari poſſet, nequaquam ſine juſtiſſima excuſatione de aſſenſu ſuo dubius, Lector, quousque ipſe quoque non ſolum fidem, ſed (exoptatiſſimam certe, non tam ſolum curioſis, quam cum cura rerum ſuarum ſatagentibus praxeos cultoribus) bene fundatam & ſecuram fiduciam adhibere poſſit.

XXXIX.

XXXIX.

Ceterum, utut conditionata utique *Phyſico* intuitu propriæ poteſtatis Naturæ, tamen *morali* reſpectu, & in caſibus obtingentibus, ſæpe *abſolutè neceſſaria* eſt ars, ad *Conſilium* ſuppeditandum, pro bonâ *gubernatione* atque moderamine decente, variarum ſecretionum & excretionum, inprimis in *Acutis* affectibus. Præbet hujus rei *exemplum*, non magis evidens, quam eminens prorſus eruptio, *variolarum* inprimis, quin etiam *morbillorum*. Quæ cum etiam, ſine ulla peculiari *artis* ope, modo continenter atq; patienter ſeſe gerant ægri, uti placidiſſime ita feliciſſime procedat, & ſalutaribus, ſed utique placidis, ſucceſſibus, ad felicem exitum pertingat; quando tamen per *impatientiam*, & *intempeſtivè* ſollicitam curam, ſive patientium, ſive aſſiſtentium, *prœmatura* expulſio urgetur, quam facile hinc in maximam diſcrimen adducantur ægri, ita manifeſto declarat experientia, ut proinde immenſo exemplorum numero velut ante oculos poſitum ſit, quod immenſum quam major numerus plebejorum, ſimpliciter naturæ totum negotium permittentium, non ſolum ſine damno vitæ, ſed etiam ſine omni probabiliore præſentiore periculo, affectus hos recte atque ordine ſuperent, quam eſt numerus eorum, qui medicamentis, vel ſuperfluis, vel plane importunioribus, aut ſolum regiminibus talibus, perturbantur. Unde certe etiam ad veram *neceſſitatem* referri debet, pro hujusmodi caſibus, tam ſuppeditandum, quam ab ipſo medico obſervandum, *conſilium*, ne quid hic ſuſcipiatur, niſi vera aliqua *necesſitas* opem pro *excitatione* naturæ, officio ſuo non ſatis intentæ, poſtulare magis, quam ſolum ſuadere deprehendatur: ubi nempe etiam ſolum bona ordinatio regiminis convenientis, uti ſubinde talibus caſibus *neceſſaria*, ita ſæpe etiam ſufficiens eſt.

XL.

Sicut autem modo dicti generis *necesſitas*, magis prope-

pemodum *privativum conſilium*, quam *poſitivum auxilium*, reſpicit & involvit; interim tamen, dictis caſibus & reſpectibus, omnino ferè etiam veram *neceſſitatem* præ ſe fert: Ita non valde diſpar eſt ratio etiam *externarum inflammationum*. Et quidem tam *ſimpliciorum*, à vi aliqua externa aut quacunque fortuita occaſione, provocatarum: quam inprimis ab *interno appulſu ad exteriora*, prognatarum, cujusmodi ſunt *Rhevmatodes Eryſipelaceo-phlegmonodes apoſtaſes*.

XLI.

Ubi, ſicut è triviali pathologia, *inflammationem formaliter* ſumtam directe & immediate pro ipſo *morbo* interpretando, hoc ipſo *falſa neceſſitas* judicatur, inflammationi *formaliter* ſumtæ, nempe *calori* & *æſtui* illi atque *dolori*, directe *reſiſtere*: quod tamen, niſi *materialiter continens* cauſa, nempe *ſtaſis* ſanguinis, ſublata ſit, certiſſimum non ſolum periculum, ſed etiam damnum, poſt ſe trahit. Si verò ad hanc, *ſtaſin*, inprimis intentio artis dirigatur, & efficacem etiam ſucceſſum nanciſcatur, *reſolutione* & *diſcuſſione* tempeſtiva; tunc equidem ſponte ſimul ceſſat & reſolvitur etiam *inflammatio*: ſed non poteſt hoc obtineri remediis atque methodis directe inflammationi, *quà tali*, deſtinatis & oppoſitis. Id quod nullo, neque ſimpliciore, nec evidentiore, exemplo, ſeu potius documento, declarari poteſt, quam effectu *actualis frigoris* adverſus inflammationes. Sicut enim clarum atque manifeſtum eſt, quod *actuale* frigus inflammationem, quà talem, nempe tam *calorem* ipſum, quam *ſenſum* ejus, citò & potenter tollat; ita tamen non minus etiam illud certum atque notum eſt, quod hæc via etiam per compendium, imò per præcipitium, partem affectam, in *ſphacelum* conjiciat. Sicut etiam rei hujus indoles diluceſcit, è *ſuppuratione*; qualem ſine *inflammatorio* concurſu ſanguinis, in effectum deduci non poſſe, notiſſimum eſt. Quando itaque *concluſus* & *coagulatus* alicubi ſanguis, reſolvi atque diſcuti amplius non poteſt, ibi eſt *inflammatorius* appulſus & concurſus ſangui-

nis,pro obtinenda ad minimum circumſcripta corruptione, adeò *abſolute neceſſarius*, ut ſi hic undecunque nedum *directâ* efficacia inconſultæ artis, cohibeatur, nihil aliud poſſit evenire, niſi ſimplex & nuda corruptio putredinoſa, quæ *ſphaceli* nomine venit.

XLII.

Tanto magis *neceſſaria* vero eſt, verè *artificioſa* conſideratio atque gubernatio, citatarum, ab *expulſione* interna profectarum, inflammatoriarum *congeſtionum*. Quarum repentina, non tam diſcuſſio, quam *retropulſio*, uti jam ipſi plebi nota eſt, periculoſiſſimi, & facile funeſti, eventus infamia: Der Perſohn ſeye die Roſe zurück geſchlagen oder getrieben worden / daran ſie ſterben müſſen: ita vel ſolum moderatius impedita, *exhalatoria* talium affectuum, & ſubtiliorum *orgaſticarum* partium, diſſipatio, ad minimum in ipſa parte, *malignas ulcerationes*, & ſatis facile ipſum *ſphacelum*, poſt ſe trahit. Unde etiam neceſſaria hic eſt recte inſtituta ars; ad minimum *privativo* moderamine, ne plus juſto audeat, & limites neceſſitatis ſuæ tranſcendat: ſed quo potius in eo hos agnoſcat atque ſervet, ut boni *Conſilii* tantùm *neceſſitatem*, impatientibus ægris ſuppeditandi, ſuarum partium hic eſſe, intelligat atque recordetur.

XLIII.

Repeto, quod, licet alienum eſſet à noſtro propoſito, *privativam neceſſitatem*, id eſt, *abſtinentiæ* artis neceſſitatem, noſtra tractatione perſequi, & in illam diffundi; tamen *poſitivæ neceſſitatis* rationem omnino habeat, ex *artificioſo* intellectu talium rerum, *formandum*, depromendum, & ægris proponendum, *Conſilium*; ut nec impatientia, nec inde proficiſcentibus temerariis auſibus atque tentaminibus, aut imperitorum frivolorum artificum auſcultationibus & obſequiis, peſſime ſibi conſulant: ſed potius legitimos *ſucceſſus*, & hac ſola ratione *ſalutares* eventus, expectent: quod longe nervoſiùs vernacula noſtra exprimit, dem nöthigen Lauff der Kranckheit gebührlich ab / und ſolchen außzuwarten.

XLIV.

XLIV.

Quæ res uti ſummi uſus, ita ſubinde abſolutæ *neceſſitatis*, eſt, inprimis in *Febribus*. Circà quas, cum utique quotidiana, modo prudens atque circumſpecta, experientia, affatim inſtruere poſſit Medicum, quam parum, imò potius quam nihil, quælibet tentamina, & imaginaria ſubſidia, poſſint atque proſint, ad negotii *ſummam*; ipſum inquam *typum* febrium, utiliter, aut ſalutariter, cohibendum atque ſupprimendum, aut ſolum *tolerabiliter* invertendum: quin potius deteriores *anomaliæ*, vel ipſi *typo* febris *ſuperveniant*, vel febri *ſuccedant*: Eluceſcit etiam inde *neceſſitas*, *conſilii* æque, à bene conſtituta arte depromendi, atque *auxilii*, ab eodem fonte hauriendi, quantum in *febribus*, *decurſui* tum ſpontanearum *coctionum* ſeu *ſeceſſionum* materiæ, ut *ſecerni* poſſit, tum ſecretionum & excretionum, *expectatione* indulgendum ſit: aut quouſque, ſolidè ſuffragante conſtante experientia, *ars* verè compos ſit, ante omnia *ſeceſſionem*, ſeu talem materiarum *præparationem* atque diſpoſitionem, ut tempeſtivis *ſecretionibus* & *excretionibus* obſequantur, præſtare aut promovere: ut adeo hâc ratione, ſi apud patientes aliquos, omninò *neceſſaria* hæc *ſeceſſio* obſequi cunctetur, *ars*, hanc *neceſſitatem* expediendo, ſui etiam *neceſſitatem* oſtendere atque hujus *dignitatem* tueri, poſſit.

XLV.

Quæ res, ſicut equidem optanda omninò eſt, interim tamen votis ad effectum nunquam deducetur; ſed penſitationes prudentiſſimas, peritiſſime obſervatarum atque æſtimatarum *circumſtantiarum Febrilium* pro fundamento habere debet: ita tanto major ſpes eſt, fore, ut etiam hujus rei luculentior cognitio, cum tempore, & adhibito ad hunc uſum aſſequendum ſolerte ſtudio, adhuc clariori luci vindicetur. Cum utique in intermittente *tertiana*, neque minus, licet ſatis jam degenere, *bilioſâ*, ab *iracundia* initium nacta, per propiorem contactum materiarum Medicarum, cum materia horum affectuum, ita diſponi poſſit, ut *ſpontaneis*, etiam placidioribus, ſecretoriis & excretoriis motibus obſequens

reddita, minore contentione, & promtiore ſucceſſu, actu è corpore evacuata, eò ipſo etiam ulteriorem febris continuationem auferant.

XLVI.

Evidentisſima verò omnium eſt hæc res, in *Cholera*, ab *iracundia*, ſuper ingeſtis cibis aut potibus, aut inter horum uſum, prognata. Ubi certè, ſubinde *abſoluta*, ſæpe verò (ad minimum ad longe graviora incommoda æque atque pericula, præſentius atque certius occupanda atque ſubmovenda) tanta eſt *necesſitas*, ut ſine *artificialibus* ſubſidiis atque præſidiis, omnia non ſolum incommodis gravibus, & ſummo periculo propiora, ſed non raro etiam funeſto eventui obnoxia, ſentiantur & obſerventur. Dum ex adverſo, *neceſſaria* illa ſubjugatio *cauſticæ* illius materiæ, *ventriculum* atque *pylorum* obſidentis, tam manifeſtò cum *recta ratione* conſentientem *efficaciam* demonſtret, ut non ſolum verè *artificioſum* auxilium hinc haberi mereatur, ſed etiam compos hujus, & ſimilium experimentorum, *Ars*, tanto luculentius *neceſſitatem* ſui, talibus documentis demonſtrare posſit.

XLVII.

Neque diſpar hic eſt ratio ipſius etiam *Dyſenteriæ*. Utpote quæ ſimiliter, adeo certiùs involvit *neceſſitatem artis*, ut non ſolum per hujus ſubſidia *certius* curetur, quàm ſine illis: ſed etiam, inprimis *prævalida*, *vix ſine* illis, ad minimum non ſine nimium quam ancipiti periculo, & diuturna periclitatione, ſuperetur.

XLVIII.

Ita etiam in importunis & efferis *ſanguinis profuſionibus*, artem frequentiſſimè *neceſſariam* eſſe, nemo credo in dubium vocaverit. Compotem etiam hujus effectus præſtandi exiſtere, quousque ſaltem remedia pertingere poſſunt, demonſtrant & confirmant ad minimum *Adſtringentia* remedia; tanto magis autem talia, quæ ſine ullo ſenſibili *adſtrictorio* effectu, nihilo ſecius, alieniores, intempeſtivas, & intemperantes, hæmorrhagias, ita *circumſcribunt*, ut illæ quidem planè, hæ verò ad mi-

minimum in tantum, remittant, quantum in *menſura* debita exceſſerant: adeoque adhuc manifeſtius artificioſam teſtentur *neceſſitatis* præſentis expugnationem, quanto magis exactè cum *recta ratione* conſentit, non *generaliter* tantum hæmorrhagias quaſcunque, directe cogere atque cohibere, quam ſolum *conditiones* illarum exorbitantes circumſcribere, ſine præjudicio evacuationis hujus in genere magis ſpectatæ: utpote quæ non rarò, per alias circumſtantias, *nuda cohibitione* nullatenus ſuperandas, ita neceſſaria eſt, ut *ars* adverſus illam, ita *directe* & ſimpliciter, non ſolum *non* ſit *neceſſaria*, ſed nec *utilis* quidem, imò plane non *tolerabilis*, verùm noxia.

XLIX.

Sicut enim jam ſupra monuimus, quod ars ipſa ſubinde ſit neceſſaria, ad *ventilandum* potius atque *deplendum* ſanguinem; ubi *Plethora*, variis *commotionibus* occaſionalibus, jam propior eſt periculoſis eventibus: interim vel *intentione*, (per individua,) minus vigil & alacris eſt natura: vel ſucceſsûs minus compos, *craſeos* ſpiſſitudine, & *viarum* firmitate: aut utrinque, nullo adhuc *uſu*, *exercitio*, *experimento*; quo alias tam intentionis *promtitudo* facilius reſuſcitatur, quam *contentionis* ſucceſſus, per *vias* ipſo uſu jam habiliores, promovetur: Ita ibi utique manifeſtum eſt, ſubeſſe *artis neceſſitatem*, quæ, ubi vel natura deficit *promtitudine* debita, vel *humores* & *viæ* ſucceſſum deſtituunt, ſuppleat & perficiat, quod præſenti conſtitutioni omninò *neceſſarium* haberi meretur.

L.

Ubi, ſicuti jam præmonuimus, quod inprimis in magis *Chronicis* affectibus, artis paſſim certior ſit *necesſitas*, ita in hoc etiam genere, confirmatur hoc exemplis, tam *Rhevmatico-arthriticarum*, exteriorum, quam *hypochondriaco-pectoralium*, imò *hemicranicarum*, interiorum, *congeſtionum* atque *contentionum* variarum, *Chronico-periodicarum*.

LI.

Ubi videlicet, cum præcipuum negotium hujusmodi

 affe-

affectuum fundetur ſuper *longinquis* conatibus atque *molíminibus*, & qualibuscunque *apparatibus, hæmorrhoicis*; (uti jam pridem paſſim, inprimis autem Diſſertationibus de *motu humorum ſpasmodico & ſpaſmis dolorificis*, de *motu ſanguinis hæmorrhoidali*, & *Podagræ nova pathologia*, indicatum eſt) quos tamen natura, in ejusmodi ſubjectis, *propriâ* poteſtate, vel planè non, vel ad minimum non ſatis expeditè, in effectum deducere, & pertinaci ſuæ *intentioni* ſatisfacere, valet: *Neceſſe* proinde eſt, ut ars hunc defectum ſuppleat, &, ſive proximâ atque planâ viâ, nempè *ventilatione* artificiali, ſive ad minimum *conſilio*, motibus corporis ſanguinem conquaſſandi, diſcutiendi, atque reſolvendi, & ab illis congeſtionibus in univerſaliorem diſtributionem diducendi, talibus *necesſitatibus* conſulat. Qua in re, licet omnia propemodum alia potiùs, hodierna Theoria atque Praxis ſpeculetur & machinetur; non deſunt tamen, nec ex *antiquioribus*, ſatis luculenta hujus rei documenta, veritatem & utilitatem talium auxiliorum manifeſtò oſtendentia: neque nobis etiam, imò ſic affectis ægris, ſub divinâ gratia, deeſt quotidiana experientia, efficaciſſimam energiam harum artificialium *ventilationum* adverſus hos affectus, affatim confirmans. Ubi, quod allegata *antiquiora* documenta concernit, provocamus, ad annotationes illas *Hippocratis*, circà totum hoc negotium, hodie ſic dictorum *Rhevmatico-arthritico-hypochondriacorum* (uti de *magnis lienibus* etiam ibi innuit) affectuum; quas Libro II. Prorrheticorum memoratas in Programmate, ante paucos annos, ſimplici *paraphraſi* illuſtravimus: ſimul autem etiam ad experimenta, tam in allegatis *Diſſertationibus* paſſim, quam in Diſſertatione de *Sanguiſugarum utilitate*, adducta: Inter quæ, & inprimis ultima, uti tàm *contumacis hypochondriaco melancholici* mali, quàm ipſius *podagræ*, per *hæmorrhoidalem*, (mediantibus *hirudinibus*) evacuationem ſæpius repetitam, expugnatorum, exempla allegantur: ita latius in *Pathologia* D. D. Præſidis, legere licet, exemplum tale, quod ipſi ad totam hanc rem planè altius, quam ad hunc diem factum erat, perpendendam

dam atque enucleandam, occaſionem præbuit: Nempe viri, ab *Iſchiade* atque *Podagra*, jam ſæpius tolerata, per ſubſecutam ſpontanearum *hæmorrhoidum* periodum, ita in ſolidum liberati, ut per aliquot ſupra triginta annos, nempe usque ad ætatem LXXVIII. annorum, nullum amplius horum dolorum inſultum experiretur. Unde non magis utilitas, quam ipſa *neceſſitas*, artificialis ſubſidii, in hoc negotio, tanto magis diluceſcit, cum propriè hic in culpa ſit *impotentia* naturæ, ſibi ipſi ſufficiendi, adeoque artis opem tantò ſimplicius *efflagitet*.

LII.

Cum autem jam ſupra nos excuſaverimus, à prolixiore commemoratione *neceſſitatis* artis per *manualia* auxilia, ſatis confidimus fore, ſi illud præſente loco repetamus. Sicut enim talis *neceſſitatis*, communiter ita *mechanicè* evidens eſt ratio, ut nec à ſpontanea, neque medicamentis forte excitanda, Naturæ energia, hic aliquid ſperare ſana ratio permittat; ita vix ſui, nedum rerum ſuarum, ſatis memores videntur, qui hic, quod aliquando factum meminimus, *Medicinæ univerſali* aliquid confidunt; dum, ſicut illa ipſa adhuc extra ſpeculationes nudas, ipſo facto ſe exſerere, obſtinatè tergiverſatur: ita certè rationi etiam hæc ejus poteſtas, juſtiſſime tamdiu in dubio habetur, donec ex inſperato, evidentibus experimentis jus ſuum vindicaverit.

LIII.

Sicut autem, non ſolum *potiſſimorum*, ſed etiam *plurimorum*, talium affectuum, quibus *ars* medica etiam *neceſſaria* ſit, allegatione, ita propoſito noſtro ſatis feciſſe confidimus, ut quicquid adhuc ſpecialius memorari poſſet, ſive ſub his tanquam ſummis generibus, jam comprehendatur, ſive ad hæc paradigmata, juſto paralleliſmo facile referri posſit; Ita dicendum adhuc aliquid arbitramur ſupereſſe, de *Specificis* remediis. *Dum vitant multi vitia, in contraria currunt.* Antiquitus multa laudabantur, hodie nulla creduntur, *ſpecifica*, ſtricto ſenſu dicta: Nempe quæ præter ullam

lam, niſi nuda generalitate abſonam, in materias certas, agendi rationem, affectibus, quorum nullis aliis remediis cedit pertinacia, non ſolum *efficacisſime* atque certisſime, ſed etiam *præſentiſſime*, & ſæpe *conſtantiſſimè*, ſatisfaciant: & præterea, in eo *ſpecificorum* nomen atque dignitatem exacte tueantur, ut etiam exquiſite, nonniſi veræ cuidam *ſpeciei* affectus ſatisfaciant. Cum autem hujus rei veritas aliquot exemplis, ut *Epilepſiæ* verè *idiopathicæ*, & *odontalgiæ* pariter *idiopathicæ*, quin etiam *venenatorum* & *rabidorum* morſuum, abunde confirmetur: inſiſtimus tanto magis aſſertioni, quod etiam *ſpecificorum* artificialium ſubſidiorum, ſubinde tanta ſit *necesſitas*, ut natura his omnino quam maxime opus habeat.

LIV.

Atque ita, quæ ad commonſtrandam *Necesſitatem artis* faciunt; tam *conſiliis* ſuper recta ratione fundatis, quam *auxiliis*, artificioſa efficacia cognitis: ſatis commonſtraviſſe confidimus. Eoque ipſo *dignitatem* artis ita vindicaviſſe ſperamus, ut, quemadmodum tractatione de *Poteſtate Artis*, cautum voluimus, ne *limites* ejus, temerarie atque arroganter, *extendantur*; ita hac deductione caveri poſſe ſentiamus, ne etiam *imprudenter*, limites ejus juſto arctius *reſtringantur*. Hac enim una ratione, non ſolum *Theoriæ*, ſed etiam *Therapiæ*, ſolidus ille uſus aſſeretur, ut quid in arte *verè inſit*, ſaluberrimo *Iſocratis* monito, verè oſtenſum, certum, ratum, atque firmum habeatur. Cui tandem arti, à Deo ipſo, naturæ præfixos limites obſervanti, ut benedictione ſua, tam intellectum dirigendo, quam verum uſum & effectum largiendo, pro immenſa ſua bonitate, ſemper præſtò ſit, devotis precibus venit exorandum. Cui etiam pro nobis conceſſa gratia ad hoc negotium commentando commentandum, humillimas grates nuncupamus.

FINIS.